

MISCELLANEUM

DE FUNDATIONE PRAEPOSITURAE GRABENSIS (GARAB) IN HUNGARIA

Scriptores rerum Hungaricarum ¹⁾ usque ad finem saeculi XIX pro certissimo habuerunt ordinem Praemonstratensem in regnum Hungariae a Stephano II. rege inductum esse primamque praeposituram hujus ordinis fuisse in Hungaria praeposituram in Promontorio Magnovaradinensi erectam.

Non defuerunt, qui censerent primos huius Ecclesiae canonicos a Praemonstrato venisse ²⁾, vel — ut alii existimabant — e Regia valle ³⁾; Ecclesiam praepositurae iussu adhuc S. Stephani regis fuisse aedificatam in honorem S. Stephani Protomartyris, regemque Stephanum II, qui chronicis testantibus morti proximus se veste sacra ordinis Praemonstratensis induisset, ibidem fuisse tumulatum ⁵⁾.

Julius Pauler, homo in historia diligentissimus, primus censuit laborem esse impertiendum investigando, unde hae opiniones derivarentur, possentne probari, necne. Voluminibus rite replicatis invenit hasce persuasiones minime esse res historiae fide comprobatas; rerum enim scriptores tempore posteriores eas ab superioribus mutuasse; omnesque istas eorum opiniones ad eundem

1) Fuxhoffer, *Monasteriologia Regni Hungariae*, 1803; Fuxhoffer-Czinár, *Monasteriologia Regni Hungariae*, II, 64. Pest, 1858; Bunyitay Vince, *A váradi pöspökség története*, II, 388; Balics Lajos, *A római katolikus egyák története Magyarországon*, II, 2, 280; Rupp: *Magyarország helyrajzi története*, III, 118; Danielik, *A premonstreiek*. Eger. 1866, 273, 281, etc. Eger, 1866; et Petrus Cardinalis de Pázmány, Archiepps. Strigoniensis.

2) Katona, Kaprinay, *Hung. Dipl.* II, 220. Danielik, 285.

3) Fuxhoffer-Czinár, II, 64; Keresztury, *Compendium descriptionis Epps. Varad.* I, 139.

4) Rupp, III, 118.

5) Balics, II, 2, 280

fontem, ad Annales Hugonis, esse referendas. Suamque ipsius sententiam, haud secus Hugonem Annalium auctorem testem nominans, hisce exponit: "Primos Praemonstratenses in Hungariam mediante XII. saeculo e monasterio de Bar seu Vallis Regiae quod est in Lotharingia, venisse in pagum Garáb, qui situs est in Comitatu Nógrád, in diocesei Vaciensi, haud procul a pago Pásztó, ubi eis a quodam praeposito Ecclesiae Albaregalensis monasterium fundabatur" ⁶⁾).

Argumentis a Julio Pauler allatis assensum praebuit et ipse Joannes Karácsonyi, maximus, qui sunt in vivis, historicorum: Canonici regulares Praemonstratenses regnante Bela rege III. ante annum 1179 primo a praeposito Albaregalensi Miküdino qui postea episcopus Jaurinensis "Györ" factus est — deducti sunt in pagum Gárab, in Comitatu Nógrádiensi" ⁷⁾).

Quum Micudinus ⁸⁾ — sic enim recte legitur nomen Mendinus, quod in bulla pontificali memoratur, qua anno 1179 possessiones Regiae Vallis confirmantur — anno 1176 solummodo electus episcopus ⁹⁾ esset et ab anno 1176 usque ad a. 1186 episcopus Jaurinensis ¹⁰⁾ — praeposituramque de Garáb adhuc praepositus Albaregalensis — sic e bulla pontificali colligitur — fundasset, eam sine dubio ante a. 1176 fundatam esse constat.

Quum vero in diplomate Innocentii II. Summi pontificis ab a. 1141, necnon in diplomate Henrici episcopi Tullensis ab a. 1161 — quibus possessiones et jura Regiae Vallis confirmantur ¹¹⁾ — nulla mentio fiat praepositurae de Garáb, haec post annum 1161 vel verius inter annum 1161 et 1176 excitata esse non absurde existimatur.

Hugo in Annalibus solito fusius loquitur de Galtero, qui ab a. 1173 usque ad a. 1192 in Regia Valle, postea ab a. 1192 u. ad a. 1194 in Praemonstrato munere abbatis fungebatur.

"Studio siquidem fidei amplificandae incalescens, Crucem assumpsit et peregrinus Apostolico igne inflammavit regiones. Hungariam adiit, provocavit ad arma, Christianos et ipse sacrae militiae

6) Pauler Gyula, *A magyar nemzet története az Arpád-házi királyok alatt*, I, 366 et 574.

7) Karácsonyi János, *Magyarország története több vonásaiban*, 71. Nagyvárad, 1915.

8) Szentpétery Imre, *Az Arpád-házi királyok okleveleinek kritikai jegyzéke*, T. I, No. 133.

9) Balics, II, 154.

10) *Schematismus Jauriensis*, 1906.

11) Hugo, *Annales*, II, CCCCVI. et CCCCVII.

preco pro recuperandis Sanctis locis tam feliciter peroravit, apud exteros, ut abeuntem precibus coegerint, aliquos de suis sodalibus relinquere, qui Religioni Norbertinae in oblati ultro pinguibus territorii semina implantarent. Paruit Galterus et itineris Comites destinavit ad Hungariae regnum, ubi monasterium Grabense excitarent" 12).

Galterus ergo in Hungaria commorabatur cum pluribus sui instituti fratribus ad aliquam expeditionem sacram cruce signatorum milites conscripturus.

Sed quaeenam fuerit haec expeditio sacra ?

Tertia esse non potuit — 1189-1192, — anno enim 1179 praepositura de Garáb jam vigeat.

Nec tamen secunda esse potuit — 1147-1149 — anno enim 1161 praepositura de Garáb nondum erat fundata.

At pertransiit Hungariam ineunte anno 1172 agmen quoddam Terram Sacram petiturum, duce Henrico Leone, principe Saxoniae. Quod revera ipso articulo temporis, quo Stephanus III. rex mortuus est, die 4 Martii Strigonium — Esztergom — advenit 13).

Censendum est Galterum tempore hanc expeditionem praecedenti in Hungaria degisse atque tunc temporis cum praeposito Albaregalensi amicitiam contraxisse, huicque persuasisse, ut monasterium Ordinis Praemonstratensis in Hungaria erigeret. Quod quidem auctoritate regia firmandum erat, quam tamen praepositus dignitate ampla praeditus facile impetrare potuit a rege nuperrime "converso".

Galterum, qui se fortasse in Garáb contulerat visurus, num locus monasterio condendo more ordinis aptus esset, revertisse in patriam suam, vel exinde colligitur, quia fundatio abbatae S. Crucis in Marchia, prope Villam Francam hoc tempore erectae iam non ei ascribitur. Sed Hungaria decedens ibidem reliquit socios suos, primos praepositurae de Garáb incolas.

Eodem anno, d. 23 Novembris a. 1172 Drogo, abbas Regiae Vallis diem obiit supremum, in cuius locum eo ipso anno, vel ineunte anno proximo Galterus abbas suffectus est, ut hoc praemio ac honore afficeretur, quod de collectis militibus cruce signatis, necnon de fundata praepositura Garáb optime meruisset.

Annus igitur praepositurae de Garáb fundatae annus 1171 habent-

12) Hugo, *Annales*, II, 615.

13) Marcali, *Magyarország története az Arpádok korában*. Bp. 1896. 3 b. Pauler, 320; et Kugler Bernhard, *Geschichte der Kreuzzüge*, Berlin, 1880.

dus est ¹⁴⁾, tempore Stephani III. regis, pro cuius nomine scriptores aevi posterioris nomen Stephani II. supponunt, quo magis antiquas historias texerent resque gestas Circariae Hungaricae — quantum fieri potest — inde a temporibus magni illius fundatoris repeterent.

Szombathely, die 12. m. III. a. 1927. A. HORVATH, o. Praem,

14) Hac de materia nuper etiam Johannes *Karácsonyi* episc. tit. et prae-positus maior Eccl. Magnovaradinensis in Academia S. Stephani in Budapest disseruit. At dissertatio eius publici juris nondum facta auctori praesto esse non poterat.